VINDICIÆ THEOLOGICAE PRO PERSEVERANTIA SANCTORVM

In Gratiâ Salvificâ,

Quas

AUSPICE CHRISTO IMMANUELE,

PRÆSIDE

REVERENDO & CLARISSIMO VIRO

D. IOANNE FORBESIO SS. THEOLOGIÆ

Doctore, & Professore publico longè meritissimo,

IN ANTIQVA & INCLYTA ACADEMIA

REGIA ABERDONENSI

Publicè ventilandas proponit

A. D. IV. NON. AVG. 1627.

GULIELMUS LESLÆUS COLLEGII

REGII SVBPRIMARIVS,

PRO SS. THEOL. BACCALAVREATV.

Augustin. De Bon. Perseu. cap. 6.

Sicut DEVS operatur ut accedamus, sic & ipse operatur ne discedamus.

ABERDONIÆ, Excudit Edvadrus Rabanus. 1627.

Ampliſſimo Domino, & Reverendiſſimo
in CHRISTO Patri,

D. PATRICIO FORBESIO

ANTISTITI ABERDONENSI,

Supremi Scotorum Senatûs Conſiliario Conſultiſſimo, Academiæ Regiæ
Aberdonenſis Cancellario dignißimo, D. à Corſe, &c.

INCOMPARABILI HEROI, ad utriuſque Politiæ Splendorem nato,
Eccleſiis, Scholis, & Ptochotropheis inſtaurandis divinitùs dato;

Inter tot curas & καλοεργήματα,

ACADEMIAM ILLAM PRIMITÙS FLORENTISSIMAM,

Pòſt temporum injuriâ, an hominum incuriâ?
Tantum non collapſam & conclamatam,

NVNC TANDEM ζωὴ Θεῷ,

Paternâ ἐπιστροφῇ, indefatigabili vigilantiâ, & fortunatißimis molitionibus,
Ab internecinæ veſtitatis ſqualore
Ad inſperatam, invidendam, admirandam *ἀναβίωσιν*
feliciter reſuſcitanti;

Et in eâdem
GRADVVM THEOLOGICORVM COLLATIONEM,
jamdiù deſitam & antiquatam, poſtliminii jure reſtituenti;

EVERGETÆ SVO BENIGNISSIMO,
Æternùm honorando & venerando,
Pro tot, tantis, immortalibus meritis, beneficiis,
Quod unum in re adeò tenui poteſt,
HANC QVALEMCVNQVE DIATRIBEN THEOLOGICAM,
Non in *ἀντιμισθίαν* aut redhoſtimentum,
Sed in devotißimi animi *σύμβολον*, & debitißimæ obſervantiæ
monumentum dat, dicat, dedicat, inſcribit ſubmiſſiſſimè

RESPONDENS.

VINDICIAE THEOLOGICAE,

PRO

Perseverantiâ Sanctorum

in Gratiâ Salvificâ.

THESIS I.

Sanctos, sive renatos intelligimus, κλητοὺς ἁγίους, Rom. 1, 7. *ex Deo natos,* Ioh. 1, 12. 13. *quos Deus Pater, ex aquâ & Spiritu,* Ioh. 3, 5. *per immortale semen verbi viventis, ad spem vivam regeneravit,* Iac. 1, 18. 1. Petr. 1, 3. 23. *quos Christus, per fidem sibi insitos,* Ioh. 15, 4. 5. *suoq; aspersionis sanguine ablutos,* Hebr. 12, 24. Apoc. 1, 5. *a peccatis & mortuis operibus purgavit,* Hebr. 9, 14. 1. Ioh. 1, 7. *quos Sp. Sanctus, fide mundatos,* Act. 15, 8. 9. *regenerationis lavacrô ad obedientiam sanctificavit,* Tit. 3, 5. 1. Petr. 1. 2. 22. &c.

II.

GRATIAM *salvificam* ex Apost. *indigitamus,* Tit. 2, 11. *partim gratuitam Dei* φιλανθρωπίαν, Tit. 3, 4. 1. Ioh. 4, 10. 19. *quâ electos ad salutem in dilecto suo,* Eph. 1, 4. 5. 6. 7. 2. Thess. 2, 13. *ab æterno in æternum immutabiliter complectitur,* Es. 54, 8. Ier. 31, 3. Rom. 8, 39. *partim gratiæ dona, salutaria illa &* ἀμεταμέλητα, Rom. 11, 29. Hebr. 12, 15. 1. Petr. 5, 12. *quæ ex uberrimo illo dilectionis fonte,* Eph. 2, 4. 7. *et inexhaustâ Christi plenitudine per Sp. S. in eosdem derivantur,* Ioh. 1, 16. 17. Col. 1, 19. & 2, 9. *Qualia sunt, electio gratiæ,* Rom. 11, 5. *vocatio secundum gratiam,* 2. Tim. 1, 9. *justificatio ex gratiâ,* Rom. 3, 24. Tit. 3, 7. *sanctificatio per Spiritum,* 1. Cor. 6, 11. *fides operans per charitatem,* Gal. 5, 6. *charitas ex fide non-fictâ,* 2. Tim. 1, 5. *spes ancbora animæ, & galea salutis,* Hebr. 6, 19. Eph. 6, 17. 1. Th. 5, 8. *Cæteraq; id genus Sp. Sancti charismata, de quibus* Gal. 5, 22. 23. Col. 2, 12. 13. 2. Petr. 1, 5. 6. 7.

III.

PERSEVERANTIAM, ὑπομονὴν, *definimus, immotam atq; inexpugnabilem constantiam, quâ, quos Pater veræ illi viti ceu palmites insevit,* Matth. 15, 13. Ioh. 15, 1. & seqq. Psalm. 80, 15. *ii per virtutem insitoris invincibilem, qui & velle & perficere in ipsis operatur,* Rom. 9, 16. Phil. 2, 13. *non solum possunt, si velint, sed & volunt in vite illâ permanere,* Rom. 8, 37. & 7, 18. 19. 21. 1. Cor. 10, 13. Eph. 6, 10. 11. Phil. 4, 13. *adeoq; re & actu ipsô ad finem usque perseveranter manent,* Matth. 10, 22. Marc. 13, 13. *& salutaris gratiæ succô influente, fructum multum ac permanentem ferunt,* Ioh. 15, 5. 16. *sic ut, decussis licet identidem foliis & nonnunquam fructibus, per ingruentes gravium tentationum procellas, nunquam tamen manens illud Dei & incorruptibile semen excutiant,* Luc. 8, 15. 1. Ioh. 3, 9. *nec aut temporali intercisione diffindi, aut finali excisione avelli possint.*

IV.

FINALEM *porrò hujuscemodi perseverantiam, non ex lubrico perseverantiam arbitrio, aut ficulneis ipsorum viribus suspensam, ut qui ex se in mille Apostasias, & præsentissimam perditionem subinde ruerent; sed potentiæ divinæ supereminente magnitudine,* Eph. 1, 19. *& decreto electionis immobili subnixam,* Matth. 24, 24. *omnibus & solis verè sanctis atque salvandis, à solo Deo infallibiliter donari, in iisdemq; per efficacia media perpetuò foveri & conservari, quanquam præmissæ illæ ex Scripturis ὑπογεγραμμέναι haud obscurè insinuant, tamen lectissimis aliquot indidem deductis rationibus, ὀφθαλμοφανῶς demonstratum imus.*

V.

PALMARIAM *pænè ἀπόδειξιν suppeditat discretivæ electionis stabilitas, quam diximus. Nam si firmum stat illud Dei fundamentum,* 2. Tim. 2, 19. *& propositum κατ' ἐκλογὴν manet,* Rom. 9, 11. *omninò seduci electos impossibile est,* Matth. 24, 24. Marc. 13, 22. *quod & agnoscit* Bellarm. *cum scribit, perseverantiam solis electis dari,* lib. 3. de Gr. & lib. arb. c. 12. *ac Prædestinationis propriissimum esse effectum, neq; hanc sine illâ impleri posse,* lib. 3. de just. cap. 12. *Atqui ex decreto electionis sanctificatio & fides ità suspensa sunt,* 2. Thess. 2, 13. *ut nec fides sit omnium promiscuè,* Ibid. 3, 2. *sed electorum,* Tit. 1, 1. *sen τεταγμένων εἰς ζωὴν αἰώνιον,* Act. 13, 48. *& sanctificatio illorum propria, quos Deus in Christo ad sanctitatem elegit,* Eph. 1, 4. 1. Petr. 1, 2.

ARGV M

VI.

ARGVMENTVM *istud validissimè corroborat aurea illa & nunquam disrumpenda extremorum mediorumque catena, ab Apostolo contexta,* 8. ad Rom. 28. 29. 30. *Quos enim* (*inquit*) *præscivit, hos &* (*non alios*) *prædestinavit: quos autem prædestinavit, hos &* (*non alios*) *vocavit: quos autem vocavit, hos &* (*non alios*) *justificavit: quos denique justificavit, hos &* (*non alios*) *glorificavit, explicante* Aug. de Præd. sanct. cap. 17. *Ergo præscientiam gratuita electio, electionem efficax vocatio, hanc irrevocabilis justificatio, hanc infallibilis glorificatio indissolubili nexu consequitur. Sed quicunq; glorificantur, ii perseverant: nam qui perseveraverit ad finem usque, is salvus erit,* Matth. 24, 13. *itaque finalis perseverantia ad salutem necessaria est, quod nec diffiteri sustinuit* Bellarm. lib. 2. de Gr. & lib. arb. cap. 12. & lib. 3. de just. c. 13. *evidentissimis Scripturis confessionem exprimentibus,* Matth. 10, 22. Hebr. 3, 6. 14. Apoc. 3, 11.

VII.

Α'ΠΟΔΕΙΞΙΝ *secundam deducimus* (*est prima* Aug. de Bon. pers. cap. 2.) *ex firmissimis illis Dei promissionibus, æterno gratiæ fœderi adnexis, & perseverantiam fœderatorum obsignantibus,* Hos. 2, 19. Es. 55, 3. Act. 13, 34. Ier. 31, 33. Hebr. 8, 10. 1. Ioh. 2, 25. *de misericordia suâ ab illis nunquam recessurâ,* Es. 54, 10. *de inserendo cordibus timore, ne recedant,* Ier. 32, 39. 40. *de spiritu infundendo, ut in præceptis ipsius ambulent,* Ezech. 36, 27. *de portandis & vindicandis ad canitiem usque,* Es. 46, 4. *de arundine quassâ non confringendâ, & ellychniô fumigante non extinguendô,* Es. 42, 3. Matth. 12, 20. &c. *Quas & consimiles dulcissimas promissiones an non fideliter præstat & præstaturus est ille?* 1. Cor. 1, 9. 1. Thess. 5, 24. *qui nec mentitur, nec mutatur ut filius hominis,* Num. 23, 19. Tit. 1, 2. Hebr. 6, 18. Iac. 1, 17. *cujusque sermo nequit excidere,* Rom. 9, 6. *& promissiones in Christo sunt* ναὶ *&* ἀμήν, 2. Cor. 1, 20.

VIII.

ATQVE *hinc efflorescit Demonstratio tertia, à constanti n. & immutabili illâ supernaturalium virium in fidelibus* Πληρονῇ, *quibus illos ad perseverandum instruit fidelis promissoris* Θεία Δύναμις, πάντα τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένη, 2. Petr. 1, 3. *Enimverò unquam exaresci fons ille aquæ salientis in vitam æternam,* Ier. 2, 13. Ioh. 4, 14.

nec diffluit, aut deperit unctio illa Dei manens, 2. Cor. 1, 21. 1. Ioh. 2, 20. 27. *nec templum suum deserit Spiritus adoptionis inhabitans,* Ioh. 14, 16. Rom. 8, 11. 15. 1. Cor. 3, 16. *nec resignatur sigillum Spiritus, aut hæreditatis arrha reposcitur,* 2. Cor. 1, 22. Eph. 1, 13. 14. & 4, 30. *nec evellitur radix insita, aut incorruptibile semen excutitur,* Matth. 13, 21. Luc. 8, 13. 1. Petr. 1, 23. *Sed quicunq; ex Deo natus est, in eo manet semen illud Dei: eoque peccatum non facit, quia semen illius in eo manet; nec peccare potest (intellige, ad mortem) eo ipso quia ex Deo natus est,* 1. Ioh. 3, 9. *sed custodit seipsum, nec malignus eum tangit,* Ibid. 5, 16. 17. 18. *Et per fidem victor triumphat de mundo,* Ibid. 4. 5.

IX.

CÆTERVM, quia vires illæ internæ θεόδοτοι, quantumvis firmæ & inconcussæ, externi custodis præsidium requirunt; Apodixin quartam desumimus ab assiduâ vigilantiâ & tutissimâ custodiâ fidelis illius depositarii, cui charissimum fidei & salutis depositum sartum tectum adservandum credidimus, 2. Tim. 1, 12. 1. Petr. 4, 19. *Etenim fidus ille custos Israelis nunquam dormitat, aut dormit,* Psalm. 121, 3. 4. *sed vineam suam perdius ac pernox tutatur,* Es. 27, 3. *et pro sanctis sibi in peculium adscitis, perpetuas agit excubias,* Ier. 31, 28. *nec tentari sinit, supra id quod possunt, unaque exitum cum tentatione præstat,* 1. Cor. 10, 13. *quin & in luctâ prolapsos erigit, & labentes suffulcit, ne collidantur,* Psal. 37, 24. *deniq; pro efficaciâ roboris virium suarum,* Eph. 1, 19. *stabilit, roborat, confirmat usque in finem,* 1. Cor. 1, 8. & 2. 1, 21. 1. Petr. 5, 10. *ac virtutis suæ tutelâ per fidem ad salutem custodit,* 1. Petr. 1, 5. 2. Tim. 4, 18. *sic ut ne ipsæ inferorum portæ adversum eos prævaleant,* Matth. 16, 18. *Quippe cum Petræ inædificati,* Matth. 7, 24. Luc. 6, 48. *Sionis immotæ instar persistent,* Psal. 125, 1. ἑδραῖοι, τεθεμελιωμένοι, ἄπταιστοι, καὶ πεπηγμένοι ἐν Ιησοῦ Χριστῷ, Eph. 3, 17. Col. 1, 23. & 2, 5. 7. 1. Petr. 5, 9. Iud. 1. 24.

X.

QVID? quòd bonus ille pastor, Ioh. 10. 11. 14. ἀρχιποιμὴν καὶ ἐπίσκοπος ψυχῶν, Hebr. 13, 20. 1. Petr. 2, 25. & 5, 4. *qui, quos diligit, ad finem usque diligit,* Ioh. 13, 1. *sic ut nihil eos separet ab ipsius dilectione,* Rom. 8, 35. *qui & ipse fortior forti illo,* Matth. 12, 19. Luc. 11, 21. 22. *et cujus Pater omnibus major est,* Ioh. 10, 29. *oves suas à Patre sibi datas, pro quibus & ultrò animam suam posuit,* Ioh. 10, 15. 17. 18. *nequaquam ejicit foras,* Ioh. 6. 37. *neque ex manu suâ sibi eripi sinit,* Ioh. 10, 28. *Sed pane vivo carnis suæ pascit,* Ioh. 6, 51. *et vitali haustu sanguinis sui potat,* Ioh. 4, 10. 14. & 6, 53. 54. *ita ut nunquam esuriant nec sitiant,* Ioh. 6, 35. *tandemq; ex Patris,*

ut &

ut & suâ, voluntate, vitam illis æternam donat, ad quam & in die novissimo ipsos suscitat, Ioh. 6, 39. 40. & 10, 28. & 17, 24. *Quæ proinde in judicium non venient, sed transierunt à morte ad vitam, adeoque vitam æternam habent,* Ioh. 5, 24. 1. Ioh. 3, 14. *Et quia primæ resurrectionis participes sunt, secunda mors in eos potestatem non habet,* Apoc. 20, 6.

XI.

SED veritatem hanc efficacissimè demonstrant tùm preces CHRISTI, *quem semper exaudit* Pater, Ioh. 11, 41. 42. *tam &* Sanctorum, *quibus nihil denegant* Pater & filius, Ioh. 15, 7. 1. Ioh. 3, 22. *quod in nomine filii,* Ioh. 14, 13. 14. & 16, 23. 24. *juxta voluntatem* Patris, 1. Ioh. 5, 14. 15. *cum fide, sine hæsitantia petitur,* Matth. 21, 22. Marc. 11, 22. 24. Iac. 1, 6. *Atqui* Pontifex noster *summus in diebus quidem carnis suæ,* Hebr. 5, 7. *non solum pro* Petro, Luc. 22, 32: *aut Collegio Apostolico,* Ioh. 14, 16. *sed & pro omnibus per sermonem Apostolorum in ipsum credituris,* Ioh. 17, 20. *perseverantiam in fide & charitate rogavit,* Ibid. 9. 11. 15. 21. 22. 23. *Exaltatus autè ad dextram* Patris, *perpetuò pro suis etiamnũ intercedit,* Rom. 8, 34. Heb. 7, 25. & 9, 24. Ioh. 16, 26. 1. Ioh. 2, 1. 2. *Sanctorum porrò juge sacrificium est, ne inducantur in tentationem, sed liberentur à malo,* Matth. 6, 13. Luc. 11, 4. *Itaque sanctos à sanctitate penitus desciscere, tàm falsum, quàm Filii unigeniti & cohæredum preces non exaudiri à* Patre, *blasphemum est.*

XII.

POSTREMÒ, etsi verè fideles, in atrocia peccata prolabendo, fidei & charitatis actus intermittunt, quin & habitus ipsos sopiunt, ac nonnihil etiam imminuunt, Psalm. 51, 10. 11. 12. 13. 14. *adeoque à primo fervore, & gradibus crebrò deficiunt,* Apoc. 2, 4. 5. *tamen quicunque totaliter aut finaliter excidant, ii nunquã fuerunt in cœlis conscripti,* Heb. 12, 23. *nec propriè Christo à* Patre *dati,* Ioh. 17, 11. 12. *neque à Christo ex mundo electi,* Ioh. 15, 16. 19. *nec sanguine ipsius verè mundati,* Heb. 9, 14. 1. Petr. 3, 21. *nec corporis oblatione in perpetuum consummati,* Heb. 10, 10. 14. *nec* στερέωμα *illud* πίστεως, Col. 2, 5. *aut* φιλαδελφίας ἀνυπόκριτον *habuerunt,* 1. Petr. 1, xxij. *Etenim exierunt à nobis (inquit Apostolus) sed non fuerunt ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed exierunt, ut manifesti fierent, quia non erant ex nobis,* 1. Ioh. ij, xix.

XIII.

IN hunc autem censum referimus non solùm elatos & larvatos hypocritas, qui externæ pietatis speciem mentiuntur, ut aliis saltem oculos præstringant, Matth. 6. & 9, 13. & 23, 27. 28. Luc. 5, 32. & 18, 9. *sed im-*

primis πρόσκαιρος *seu temporarios Apostatas, qui supernaturali quòdam* φωτισμῷ *perfusi, veritatem Evangelii & viam justitiæ cognoscunt, sermonem regni cum gaudio excipiunt, ad tempus credunt & in luce exultant, imò per* ἐπίγνωσιν *CHRISTI Servatoris inquinamenta mundi effugiunt; posteà tamen à sancto mandato voluntariâ defectione apostatant, veritatem agnitam contrà conscientiam malitiosè abnegant, ipsum DEI filium conculcant, sanguinem fœderis profanum ducunt, Spiritum gratiæ contumeliâ afficiunt, &c. eoq; ad mortem & in Sp. Sanctum peccant*, Matth. 13. 5. 6. 20. 21. Marc. 4. 5. 6. 16. 17. Luc. 8, 6. 13. Ioh. 5. 35. Hebr. 6. 4. 5. 6. 7. 8. & 10. 26. 27. 29. 2. Petr. 2, 1. 20. 21. 22. Iud. 4.

COROLLARIA.

1. *Perseverantia non est conditio novi fœderis ad peremptoriam electionem antecedanea.*
2. *Perseverantia est effectum electionis, & gratuitum novi fœderis donum.*
3. *Fides dogmatica seu temporaria specie differt à Iustificante & Perseverante.*

Ἰδοὺ τὸ πέρας, τῷ Θεῷ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.

BRITISH MUSEUM 5 APR 80